



IOannes ex illustri familia comitum Hennebergensium natus est. patrem enim habuit principem Vuilhelmum, matrem Anastasiam Marchionissam Brandenburgensem. Is cum optima indole insignis esset, primò Latinæ linguæ elementa Moguntiaë didicit, atque eius Ecclesiæ Canonicus electus fuit. Postea quoque Coloniensis, Argentinen-sis, & Bambergensis Ecclesiarum Canonicus constituitur. Inde studiorum ergò Parrhysios mittitur, & doctis præceptoribus commendatur. Hisce etiam Iohannes obtemperavit, & præclaram sibi eruditionem comparavit. Itaque

in patriam reuersus, cum egregiæ indolis & doctrinæ specimen exhibuisset, Hartmanno abbati Fuldensi, anno reparatæ salutis humanæ millesimo quingentesimo uigesimo primo, coadiutor, & tandem cum ordinem eum assumpsisset, sexagesimus quartus, post Stormionem eius scholæ primum patrem, abbas constituitur. Monasterium illud Benedictinorum potentissimum fundatum erat olim anno post natum Christum septingentesimo quadragésimo quarto, à sancto Bonifacio primo Archiepiscopo Moguntino, sumptibus Carolomanni & Pipini regum Franciæ. Situm autem est in Buchonia inter Hassiam, Franciam Orientalem, & Vuederouiam, ad eiusdem nominis fluuium, & intra eiusdem nominis urbem, loco amœnissimo. Postea quoque accidit, ut Fuldensis abbas inter quatuor Imperij ducales abbates cum Campidonensi, Murbacensi, & Vuissenburgensi recensitus fuerit.